DISSERTATIO
IN
CASUS RESERVATOS
VENETÆ DIŒCESEOS

AUCTORE

BERNARDINO BENZI
SOCIETATIS JESU
PRESBYTERO

VENETIIS MDCCXLIII.
Apud JOANNEM MARIAM LAZARONI
Sub Signo S. Cajetani
SUPERIORUM PERMISSU

DISSERTATIO
IN CASUS RESERVATOS
VENETÆ DIOECESEOS

ETsi casus hac in nostra inclyta Patriarchali Diœcesi jamdudum, hodieque reservati clare, ac dilucide non minus, quam rite, ac sapienter expositi leguntur; quoniam humanæ intelligentiæ indoles ad continenter ambigendum prona illos a dubitationibus immunes abire non patitur; qualemcumque eorumdem interpretationem libens aggredior, non sine humanissima illius assensione, & comprobatione, quem latere consilium meum, & quo inconsulto meam hujusce argumenti elucubrationem in lucem prodire neutiquam decuisset. Quisquis tenuem libellum istum lectione tua cohonestaveris, illud omnino a me non dictum existimes volo, siquid in privatis meis opinionibus forte legeres, quod a sapientissimi Reservatoris mente unico puncto aut recederet, aut recedere videretur. Quo aliquis ordo servetur in omni scribendi genere servandus, Patriarchales Venetiarum casus reservatos interpretaturus brevem hanc dissertationem duos in articulos dispertiam: quorum alter nonnullas regulas interpretationi profuturas, alter interpretationem ipsam contineat. Verumtamen e vestigio eosdem casus reservatos antea legendos præbeo.

1. *Blaspemiæ in Deum, Beatissimam Virginem, & Sanctos*. Pag. 7.

2. *Homicidium voluntarium non solum quoad committentes, verum etiam quoad mandantes, consilium, aut assistentiam personalem efficaciter præstantes*. Pag. 9.

3. *Patris, & matris percussio*. Pag. 12.

4. *Tædissimum sodomiæ scelus, & quicumque concubitus consummatus contra naturam*. Pag. 13.

5. *Carnalis copula cum Infidelibus*. Pag. 15.

6. *Incestus omnes in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis, & cognationis spiritualis, & quicumque actus, vel attentatio malitiosa ad turpia cum filia spirituali.* Pag. 16.

7. *Divinationes, maleficia, & quodcumque aliud genus superstitionum cum abusu Sacramentorum, sacrarum rerum, necnon sacrorum verborum, aut rituum*. Pag. 20.

8. *Qualibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata*. Pag. 21.

ARTICULUS PRIMUS

Regulæ casuum reservatorum Venetæ Diœceseos interpretationi profuturæ

REGULA PRIMA

I*Nterpretatio casuum reservatorum facienda est spectando potius moralem verborum significationem, quam meram speculationem*. Ita revera omnes, vel fere omnes Theologi id magis supponentes, quam affirmantes, inter quos id non mere supponentes *A Graffiis de cas. reservatis l. 1 c. 4 regula 4, & De Alexandris de cas. reservatis Veronæ in proœmialibus* legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia in casuum reservatorum interpretatione servari debet mens reservantis, quæ moralem verborum significationem negligendo, & meræ speculationi adhærendo facile dimittitur juxta Regulam 88 De regulis juris in 6 *Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem*.

REGULA SECUNDA

R*Eservatio casuum, etsi aliquam præsefert rationem pœnæ, non est pœna, sed est restrictio, seu ablatio potestatis absolvendi a quibusdam peccatis*. Ita permulti Theologi, inter quos *Suarez in 3 p. to. 4 disp. 29 sect. 1, Reginaldus l. 1 c. 11 initio, Bassæus v.* Casus reservatus, *Cabrinus de cas. reservatis p. 1 resol. 1, De Alexandris de cas. reservatis Veronæ in proœmialibus, Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 1, Catalanus p. 3 q. 6 c. 15, & David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c. 1* legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia casuum reservatio immediate, & directe Confessarios, & non Pœnitentes concernit, ut ex verbis casus reservantium, & ex verbis Tridentini Sess. 14 Decr. De Sacr. Pœnitentiæ c. 7 agnoscitur.

RE-

REGULA TERTIA

R*Eservatio casuum est strictè interpretanda, quatenus non sunt reipsa reservati casus, qui in stricta significatione non sint illi iidem casus, qui reservantur*. Ita omnes, vel fere omnes Theologi, inter quos *Suarez de cens. disp. 4 sect. 6*, *A Graffiis de cas. reservatis l. 1 c. 4 regula 4*, *Chapeaville de cas. reservatis p. 1 c. 6 q. unica*, *Zeccus de cas. reservatis Brixiæ casu 13*, *Tamburinus de cas. reservatis c. 3*, *De Alexandris de cas. reservatis Veronæ in proœmialibus*, *La Croix l. 6 p. 2 n. 1684*, & *David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c. 1* legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia casuum reservatio, etsi non est pœna, utpote aliquam rationem pœnæ præseferens, sicut est odiosa omnis pœna, ipsa etiam est odiosa, ideoque est strictè interpretanda juxta Regulam 15 De regulis juris in 6 *Odia restringi, & favores convenit ampliari*. Ex hac eadem tertia regula, ut in mea *Praxi Tribunalis conscientiæ disp. 2 q. 6 ar. 1 n 4* videre licet, plura inferuntur, & præsertim nullum peccatum esse reservatum, quod non sit idem specifice peccatum, quod reservatur, quamvis adsit par ratio illud reservandi, & nullum peccatum esse reservatum (nisi aliter reservationis verbis significetur) quod ad effectum non perducatur, & quod non sit consummatum, seu completum.

REGULA QUARTA

D*Ubietas, seu incertitudo reservationis casuum impedit, quominus eadem reservatio incurratur*. Ita plurimi Theologi, inter quos *Henriquez to. 1 l. 6 c. 26*, *Suarez de cens. disp. 4 sect. 6*, & *de relig. to. 2 tr. 6 l. 4 c. 5*, *Filliucius tractat. 21 c. 4*, *De Lugo de pœnit. disp. 20 sect. 2*, *Leander p. 1 tr. 5 disp. 12 q. 11*, *Tamburinus de cas. reservatis c. 4*, *Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 2*, & *David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c. 1* legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia (præterquamquod hæc regula ex regula tertia descendit) in dubio melior est conditio possidentis juxta Regulam 65 De regulis juris in 6 *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*, ideoque, cum Pœnitens potestatem referendi absolutionem, & simplex Confessarius potestatem absolutionem impertiendi possideat, hic potest illum absolvere a quocumque peccato, quod non sit certo reservatum.

REGULA QUINTA

I*Gnorantia reservationis casuum non habentium adnexam excommunicationem reservatam, cujusmodi solent esse casus reservati episcopales, non impedit, quominus eadem reservatio incurratur*. Ita plerique Theologi, inter quos *Sanchez de matr. l. 9 disp. 32*, *Bassæus v.* Ignorantia, *Stoz l. 2 q. 2 ar. 3*, *Zuccherius de Sacr. Pœnit. Novembris quæst. 2*, *De Alexandris de cas. reservatis Veronæ in proœmialibus*, & *Viva de pœnit. q. 9 ar. 3* legi possunt. Non ita non multi Theologi, inter quos *Quintanadvenas singularibus tr. 3 singul. 11*, *De Januario de cas. reservatis resol. 1*, *Beatus q. 18 n. 25*, & *David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c. 1* legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia juxta regulam secundam reservatio casuum non habentium adnexam excommunicationem reservatam est limitatio jurisdictionis absolvendi, & non est pœna, ideoque non est, cur ab eam ignorantibus non incurratur.

RE-

REGULA SEXTA

Q*Uamvis reservari possent etiam peccata venialia, reipsa solum peccata mortalia reservantur.* Ita omnes Theologi, inter quos *Suarez in 3 p. to. 4 disp. 29 sect. 3, Vasquez in 3 p. to. 4 q. 91 ar. 3 dub. 2, Laymann l. 5 tr. 6 c. 12, Palaus tr. 23 disp. un. pu. 15 §. 1, Salmanticenses to. 1 tr. 6 c. 13. pu. 2, Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 2, Catalanus p. 3 q. 6 c. 15, & David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c. 1* legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia, cum peccata venialia confiteri non obligemur, eorum reservatio inutilis foret.

REGULA SEPTIMA

Q*Uamvis reservari possent etiam peccata interna, reipsa solum peccata externa reservantur.* Ita omnes Theologi, inter quos *Suarez, Laymann, Palaus, Salmanticenses, Giribaldi, David A S. Maria ubi supra, Leander p. 1 tr. 5 disp. 12 q. 7, & 8, & La Croix l. 6 p 2 n.* 1604, & 1605 legi possunt. Ratio hujus regulæ est, quia, cum Ecclesia maxime sollicita pravorum exemplorum spiritualia damna impediendi potissimum a peccatis externis Christianos absterrere studeat, inducta est consuetudo solum peccata externa reservandi adeo, ut fortasse nullum peccatum internum reservatum extet.

REGULA OCTAVA

P*Eccata externa non reservantur, nisi quæ sint mortalia ex actu externo, non vero quæ sint mortalia solum ex actu interno, E.G. ex affectu mortaliter malo, vel ex intentione mortaliter mala.* Ita fere omnes Theologi, inter quos *Bonacina de Sacr. Pœnit. q. 7 pu. 5 §. 1, De Lugo de pœnit. disp. 20 sect. 2, Leander p. 1 tr. 5 disp. 12. q. 9, Gobat to. 1 tr. 7 casu 8, Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 2, Sporer Theol. sacramentali p. 3 c. 6 sect. 2 q. 1 §. 3, La Croix l. 6 p. 2 n. 1649, & Viva de pœnit. q. 9 ar.* 2 legi possunt. Ratio hujus regulæ est hæc. Ex una parte juxta superiores regulas tertiam, sextam, & septimam non reservantur, nisi peccata mortalia externa in stricta significatione talia; ex alia parte non sunt mortalia externa in stricta significatione talia, nisi peccata mortalia ex actu externo, siquidem peccata externa mortalia solum ex actu interno non sunt mortalia, quatenus externa.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS

Casuum reservatorum Venetæ Diœceseos Interpretatio

CASUS PRIMUS

Blasphemiæ in Deum, Beatissimam Virginem, & Sanctos

Blasphemia est *Verbum convitii, seu contumeliæ, quo inhonoretur Deus in ipso, vel in ipsius Sanctis*. Unde blasphemia in Deum habebitur, quando immediate contra Deum convitium, seu contumelia proferatur; quando vero convitium, seu contumelia contra Beatissimam Virginem, & Sanctos proferatur, blasphemia in Beatissimam Virginem, & Sanctos habebitur. Sanctorum nomine etiam Angelos hic significari liquet. Est proprie blaspemia tum locutio directe, & formaliter Dei contemptiva, nempe locutio significans Dei convitium, seu contumeliam prolata intendendo Dei contemptum, tum locutio indirecte, & virtualiter Dei contemptiva, nempe locutio significans Dei convitium, seu contumeliam prolata non intendendo Dei contemptum. Pluribus modis contra Deum convitium, seu contumelia profertur: nimirum Deo attribuendo falsa, Deo negando vera, creaturis attribuendo debita Deo, Deo maledicendo, & aliter ore Deum contemnendo, seu inhonorando.

Ex his eruitur non esse proprie blasphemias, etsi peccato ipsæ non vacant, quasdam formulas sine judicio, vel justitia, vel veritate prolatas de se nullum Dei contemptum significantes, E. G. *per Deum, per Christum, per Mariam, per S. Petrum, per S. Paulum, per Crucem, per Euangelium, per Baptismum, per Christi Corpus, ad Dei conspectum*, aliasque similes. Hoc tamen intelligitur, dummodo ex intentione easdem formulas proferentis aliquis Dei contemptus ne significetur.

Blaspemia alia est hæreticalis, nempe quæ continet formaliter, aut virtualiter falsitatem contra Fidem, E. G. *Deus est injustus, abnego Deum*, alia est simplex, nempe quæ præcise continet aliquid Deo contumeliosum, E. G. *pereat Deus, maledictum sit Deo*. Quoniam blasphemia aliquando tantummodo mente concipitur, quin ore proferatur; alia blasphemia interna, alia blasphemia externa dici consuevit. Sed juxta superiorem blasphemiæ definitionem sola externa est proprie blasphemia.

Circa hæc omnia in reliquis *D. Thomas* 2. 2. *q.* 13 *ar.* 1, *Suarez de relig. to.* 1 *tr.* 3 *l.* 1 *c.* 4, 5, *&* 6, *Lessius de just. l.* 2 *c.* 45 *dubit.* 5, *A Graffiis de cas. reservatis l.* 1 *c.* 10, *Sanchez in Decal. l.* 2 *c.* 32, *Tamburinus in Decal. l.* 2 *c.* 6 §. 4, *Bassæus v.* Blasphemia, *Cabrinus de cas. reservatis p.* 3 *casu* 1, *Antonius A Spiritu Sancto director. Confessariorum p.* 1 *tr.* 5 *disp.* 14 *sect.* 11 §. 12, *Giribaldi de Sacr. tr.* 7 *c.* 15. *dub.* 4 §. 1, *& in Decal. tr.* 5 *c.* 6 *dub.* 2, *&* 3,

De Ale-

De Alexandris de caſ. reſervatis Veronæ n. 8, & David A S. Maria de caſ. reſervatis Taurini c. 2 caſu 1 legendi offeruntur.

Etſi blaſphemia hæreticalis eſt longe deterior, quam blaſphemia ſimplex; in hac Diœceſi etiam blaſphemia ſimplex eſt reſervata, quia verbis præſentis caſus reſervatio ad blaſphemiam hæreticalem non contrahitur, ut contrahitur dicendo *Blaſphemia hæreticalis* in iis Diœceſibus, ubi ſola blaſphemia hæreticalis reſervatur.

Quæritur primo, an blaſphemiam proferens ex iracundia, ſeu in iracundia reſervationem incurrat. Reſpondetur. Hujuſmodi blaſphemus reſervationem incurrit, ſi iracundia ſit talis, ut habita plena deliberatione ejus blaſphemia adhuc ſit mortalis. Nam in hac hypotheſi eadem blaſphemia eſſe vera blaſphemia non deſinit, nec aliunde eſt, cur reſervationem declinet. Hujuſmodi blaſphemus reſervationem non incurrit, ſi iracundia ſit talis, ut deficiente plena deliberatione eadem blaſphemia ſit venialis. Nam juxta noſtram regulam ſextam ſola peccata mortalia, & non venialia reſervantur. Patet idem eſſe pariter, ſi citra iracundiam defectu plenæ deliberationis blaſphemia ad mortalem culpam non perveniat. Idemque pariter eſt, ſi blaſphemia ſit imperfecte deliberata ex prava conſuetudine blaſphemandi. Etenim talis blaſphemia vel ſecundum multos Doctores, utpote non voluntaria ſaltem perfecte, non eſt culpa ſaltem mortalis, vel, ſi eſt culpa mortalis ſecundum non multos Doctores, utpote perfecte voluntaria ſolum in cauſa, ſeu in dicta conſuetudine, non eſt blaſphemia formalis, ideoque ob noſtram regulam tertiam reſervationi non ſubeſt. *A Graffiis, Cabrinus, Antonius A Spiritu Sancto ubi ſupra, & Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub.* 4 §. 1 legantur.

Quæritur ſecundo, an reſervationem incurrat blaſphemans in ebrietate, qui ante ebrietatem ſe in ipſa blaſphematurum prævideat. R. negative. Nam, quamvis iſte ſe inebriando cum prævisione futuræ blaſphemiæ etiam malitiam blaſphemiæ contrahat; poſtea in ebrietate ſine ulla deliberatione mere materialiter blaſphemat, & juxta noſtram regulam tertiam ſola blaſphemia formalis reſervatur. *A Graffiis, & Cabrinus ubi ſupra* legantur.

Quæritur tertio, an jocando blaſphemans reſervationem incurrat. R. affirmative, ſed tantummodo quando ejus blaſphemiæ jocus mortalem malitiam non adimat. Nam ex una parte cum joco poteſt conſiſtere vera blaſphemia; ex alia parte juxta noſtram regulam ſextam tantummodo peccata mortalia reſervantur. *Cabrinus, & Baſſæus ubi ſupra* legantur.

Quæritur quarto, an reſervationem incurrat qui mere interne blaſphemet. R. negative. Nam juxta noſtram regulam ſeptimam peccata mere interna non reſervantur. Præterquamquod juxta noſtram regulam tertiam blaſphemia mere interna non reſervatur etiam eo, quod, ut ſupra diximus, non ſit proprie blaſphemia. *A Graffiis, Cabrinus, Antonius A Spiritu Sancto, & Giribaldi ubi ſupra* negative hoc quæſitum reſolventes legantur.

Quæritur quinto, an reſervationem incurrat qui externo ſigno, vel facto Deum, vel Sanctos contemnat, E. G. qui digitum contra Deum, vel Sanctos mordeat, qui in ſacras imagines expuat, vel lapidem jaciat. R. negative. Nam hujuſmodi contemptus, etſi graviſſimus, & maxime execrandus, non eſt blaſphemia, quæ nonniſi in verbo conſiſtit. *A Graffiis* huic reſolutioni ſubdubitando adverſatus & *Cabrinus, & David A S. Maria* eidem reſolutioni aſſeverando patrocinati ubi ſupra legantur.

Quæritur ſexto, an reſervationem incurrat qui in unicum Sanctum blaſphemet.

met. R. affirmative. Nam, quamvis præsentis casus tertia pars sit *Blasphemiæ in Sanctos* numero pluralitatis; sensus non est reservari solum blasphemias in plures Sanctos collective, vel copulative, sed in plures Sanctos sive collective, vel copulative, sive distributive, vel disjunctive, ideoque etiam in unicum Sanctum prolatas. Inde infertur incurrere pariter reservationem qui unicam blasphemiam proferat, quamvis in præsenti casu numero pluralitatis *Blasphemiæ* dicatur. *A Graffiis ubi supra, & De Alexandris de cas. reservatis Veronæ in proœmialibus* legantur.

Quæritur septimo, an reservationem incurrat qui dubius de reservatione blasphemiæ, vel de reservatione talis blasphemiæ blasphemet. R. negative. Nam juxta nostram regulam quartam non sunt reservata ita, ut reservatio incurratur, peccata, de quorum reservatione quomodocumque dubitetur. Doctores eadem regula citati ibidem legantur.

Quæritur octavo, an reservationem incurrat blasphemando qui blasphemiam esse reservatam ignoret. R. affirmative. Nam juxta nostram regulam quintam reservatio casuum non habentium adnexam excommunicationem reservatam, cujusmodi sunt casus reservati hujus Diœcesis, ab eam ignorantibus incurritur; quamvis, ut mea *Praxi Tribunalis conscientiæ disp. 2 q. 6 ar. 4 n. 1* legitur, contraria opinio probabilitate non careat. Doctores eadem regula citati ibidem legantur.

Si aliquot hactenus resoluta quæsita ad reliquos septem casus transferantur præsertim quoad peccata mortalem malitiam non assecuta, ex iracundia, in ebrietate, vel aliter sine immediata perfecta deliberatione patrata, mere interna, non formaliter talia, dubie reservata, illorum reservationem ignorando commissa; eorumdem quæsitorum resolutiones pariter ob rationum identitatem ad eosdem casus esse transferendas optime nosti.

CASUS SECUNDUS

Homicidium voluntarium non solum quoad committentes, verum etiam quoad mandantes, consilium, aut assistentiam personalem efficaciter præstantes

NOmine homicidii, quod sit subjectum præsentis casus, intelligitur *Hominis injusta occisio*, quæ ferro, igne, aqua, lapide, veneno, fame, fuste, clava, malleo, laqueo, aliove quocumque modo efficiatur, sive statim, sive non statim accidat. Intelligitur pariter verum homicidium, seu homicidium perductum ad effectum, quia ex nostra regula tertia nullum peccatum (nisi aliter reservationis verbis significetur) non consummatum, seu non completum reservatur. Idcirco reservationem effugit qui aliquem in mare projiciat illum mersione interempturus, si ille postea tabulam arripiens salvus ad littus perveniat; itemque qui impediat conceptionem prolis, vel abortum fœtus inanimati efficiat.

Circa hæc in reliquis *A Graffiis de cas. reservatis l. 1 c. 14, Chapeaville de cas. reservatis p. 2 c. 3 q. 1, & 2, Zeccum de cas. reservatis Brixiæ casu 13, Trullench de Sacr. l. 4 c. 10 dub. 3, Cabrinum de cas. reservatis p. 2 casu 2, Quintanadvenas singularibus tr. 3 singul. 2, Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 4 §. 5, & De Alexandris de cas. reservatis Veronæ n. 2 §. 1* legere licet.

Quæritur primo, qua voluntarietate oporteat esse voluntarium homicidium reservationi obnoxium. R. Homicidium reservationi obnoxium oportet esse voluntarium non mera voluntarietate sufficiente ad peccatum mortale, sed voluntarietate illud reddente, sicut vulgo dicitur, casum cogitatum, nempe homicidium directe in se ipso volitum, & studiose intentum, ac dedita opera, & ex pro-

posito patratum, non vero indirecte in ipsius causa volitum, & casuale, vel ex casuali, & voluntario mixtum. Nam ex una parte secus apponere particulam *voluntarium* supervacaneum foret (quemadmodum in casu tertio similis particula, utpote supervacanea non apponitur patris & matris percussionem reservando) cum juxta nostram regulam sextam homicidium voluntarium voluntarietate non sufficiente ad peccatum mortale non esse reservatum jam constet; ex alia parte juxta nostram regulam tertiam dici potest reservatum dumtaxat homicidium voluntarium voluntarietate stricte tali, cujusmodi est major voluntarietas nunc exposita. Quare E. G. absolvi non poterit per simplicem Confessarium occidens inimicum, quem quærat ad occidendum; vel occidens viatorem, quem expectet ad occidendum postea eum spoliaturus; vel occidens prævisum aggressorem, quem ad occidendum sine necessitate præveniat. Sed per simplicem Confessarium absolvi poterit occidens inimicum, in quem forte incidat sine prævia intentione eum occidendi, si forte in eum incideret; vel occidens viatorem rapinæ obsistentem sine prævia intentione eum occidendi, si forte is rapinæ obsisteret; vel occidens improvisum aggressorem sine moderamine inculpatæ tutelæ. Nihilominus nonnulli Doctorum mox citandorum ibidem, & quidem probabiliter opinati ad incurrendam homicidii reservationem voluntarietatem tam perfectam non postulant, & homicidium quoque voluntarium voluntarietate indirecta reservationi subjiciunt. *Zeccus*, *Trullencb*, *Cabrinus*, *Quintanadvenas*, *Giribaldi ubi supra*, *Chapeaville de caf. reservatis p. 2 c. 3 q. 2*, *Barbosa de offic.*, *& potest. Episcopi allegat.* 51 *casu* 1, *Antonius A Spiritu Sancto Director. Confessariorum p. 1 tr. 5 disp. 14 sect.* 11 §. 1, *& De Alexandris de caf. reservatis Veronæ n. 1* §. 1 legantur.

Chapeaville, *& Quintanadvenas ibidem* affirmant, *A Graffiis*, *Trullencb*, *Cabrinus*, *Antonius A Spiritu Sancto*, *& Giribaldi ibidem* negant reservationem subire maritum, qui uxorem in adulterio deprehensam interficiat. Equidem secundum ante dicta sequerer affirmantes, quando maritus, priusquam uxorem in adulterio deprehendat, eam in adulterio deprehensam interficere cogitaverit; & hoc ipsum *ibidem Cabrinus* innuit. Sequerer vero negantes, quando maritus sine tali præcogitatione uxorem in adulterio deprehendat, & interficiat. Utralibet tamen sit vera sententia, dictus maritus peccat; ut patefacit damnatio propositionis decimæ nonæ inter 45 ab Alexandro VII. damnatas *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*. Quæ de marito interficiente uxorem in adulterio deprehensam, eadem proportionaliter de patre filiam, & de fratre sororem in adulterio, seu fornicatione deprehensas interficientibus adhærendo *A Graffiis*, *& Cabrino ibidem* dicantur.

Sequendo *A Graffiis*, *& Giribaldi ubi supra*, ac deferendo *De Alexandris ubi supra* existimo per simplicem Confessarium posse absolvi eum, qui Petrum esse Paulum credens Petrum enecet. Id autem existimo, quia tali homicidæ ex dicto errore nex Petri est casualis. Quamquam oppositum etiam esse probabile non inficior. Sequendo *A Graffiis*, *& Giribaldi ibidem* existimo idem dicendum esse de matre, vel nutrice, quæ prævidens periculum suffocationis infantis eum in proprio lecto repositum dormiendo suffocarit. Hoc autem existimo (posito præcipue in hac Diœcesi dictam suffocationem non esse specialiter reservatam) quia dicta suffocatio dictæ matri, vel nutrici, non obstante dicta prævisione, potius casualiter, quam voluntarie contingit. Idem esse dicendum sequendo *A Graffiis*, *Quintanadve-*

ve-

venas, & *Giribaldi ubi supra* existimo ob eamdem rationem de eo, qui non sine mortali culpa, sed sine mortis intentione adeo graviter aliquem verberet, aut vulneret, ut ex verberatione, aut vulneratione hic moriatur.

Quæritur secundo, an reservationi subsit qui lethaliter vulneravit, aut venenum porrexit, unde secuta fuit mors, si ante hanc illum pœnituit, seu ille confessionem fecit. R. Admodum probabiliter ejusmodi homicida reservationi non subest. Nam probabilius juxta plerorumque Theologorum doctrinam in facta hypothesi mors propter retractationem ex pœnitentia, seu confessione habitam homicidæ moraliter non imputatur; quamvis antea lethaliter vulnerando, aut venenum porrigendo ejusmodi mortis ipse reus extiterit. *Giribaldi*, *De Alexandris ubi supra*, *Fagundez in 2 præc. Ecclesiæ l. 8 c. 7*, *Diana to. 5 tr. 1 resol. 10*, *Bassæus v.* Casus reservatus, & *Viva de pœnit. q. 9 ar. 2* hanc resolutionem, excepto *De Alexandris* contrario, expresse admittentes legantur.

Quæritur tertio; an a reservatione eximatur interficiens eum, qui secus ab alio certe interficeretur. R. negative. Nam quod interfectus secus ab alio certe interficeretur non tollit, quominus interfector verum homicidium perpetret. Propterea citra facultatem in peccata reservata non absolverem Pœnitentem, qui reum subinde capite plectendum, vel militem a jam irruente hoste transfodiendum interficeret. *A Graffiis*, & *Zeccus ubi supra* hoc docentes legantur.

Quæritur quarto, an reservatione alligentur mandantes, aut consilium dantes, si, antequam homicidium peragatur, mandatum, aut consilium revocent. R. negative. Nam, posita mandati, aut consilii prævia revocatione, mandantibus, aut consilium dantibus homicidium moraliter non imputatur. Ob eamdem rationem idem dicendum puta, si homicida ante mandatum, aut consilium sit aliunde ad cædem paratus, ideoque a mandato, aut consilio ad eam non adducatur. *A Graffiis de cas. reservatis l. 1 c. 15*, *A Drepano de cas. reservatis p. 3 disp. 15, q. 1 c. 2*, & *Antonius A Spiritu Sancto ubi supra* legantur: quorum tres omnes quoad mandatum, duo primi, tertio præscindente, quoad consilium nostram resolutionem, ejusque additamentum admittunt. Si, antequam mandati, aut consilii revocatio perveniat, homicidium patretur, *A Graffiis ibidem* mandatum, aut consilium esse reservatum opinatur. Cui opinioni utique probabili superioris quæsiti secundi resolutio videtur nonnihil obstare. Adhærendo *A Graffiis ibidem* reservari dumtaxat mandatum, aut consilium expressum, & non etiam tacitum propter nostram regulam tertiam crediderim.

Non reservari, nisi mandatum, aut consilium, aut assistentiam personalem effectu secuto jam vides; tum quia, ut ante diximus, ipsum homicidium tantummodo effectu secuto reservatur; tum quia particula *efficaciter* significans effectum secutum adjecta assistentiæ personali etiam ad mandatum, & consilium referri videtur. Optime addit *A Graffiis ibidem* non reservari assistentiam personalem ejus, qui forte, etsi armatus homicidio præsens inveniretur, juxta ea, quæ supra de casuali homicidio statuimus.

Ex sententia *Giribaldi ibidem* fortasse contra *A Graffiis ibidem* esset, effectu secuto, reservatum peccatum judicis, qui injuste aliquem morte damnaret, quia ejusmodi judex injustum homicidium vere mandaret. Ex quo, quid de peccato exequentis talem injustam damnationem sentiendum sit, decernatur.

Si quæratur, an reservatione præsentis casus afficiatur qui ad homicidium, vel

dicta mandatum, aut consilium, aut assistentiam personalem gravi metu impellatur; ex resolutione quæsiti quinti casus sexti resolutio petatur, & *Bassæus v.* Casus reservatus, si lubeat, legatur.

Si quæratur, an reservatione reliquorum septem casuum afficiatur, qui relate ad peccata eorumdem casuum mandet, aut consilium det, aut assistentiam personalem efficaciter præstet; cum in eisdem casibus neque mandati, neque consilii, neque assistentiæ personalis efficaciter præstitæ fiat mentio, nostræ regulæ tertiæ inhærendo quæsitum negative resolvatur, & *Navarrus man. c.* 27 *n.* 51, *A Graffiis de cas. reservatis l.* 1 *c.* 4 *regula* 3, *Chapeaville de cas. reservatis p.* 1 *c.* 6 *q. unica*, *Cabrinus de cas. reservatis p.* 2 *casu* 8, *La Croix l.* 6 *p.* 2 *n.* 1647, *& De Alexandris de cas. reservatis Veronæ notis in notas nota* 2, si lubeat, legantur.

CASUS TERTIUS

Patris, & matris percussio

INsistendo nostræ regulæ tertiæ subjectum reservationis casus præsentis erunt verus pater, & vera mater, sed hi etiam citra legitimum matrimonium; neque erunt aut vitricus, & noverca, aut avus, & avia, aut patruus, & amita, aut avunculus, & matertera, aut patrinus, & matrina, aut tutor, & tutrix, aut nutritius, & nutrix, aut magister, & magistra, aut quicumque alius, & quæcumque alia, qui, & quæ proprie non pater, & mater patris, & matris nomine appelletur, seu patris, & matris vices præstet. Propterea insistendo eidem regulæ nonnisi percussio eorum, a quibus percutiens sive legitimus, sive illegitimus immediate genitus fuerit, reservabitur. Verumtamen dictum subjectum nonnulli mox citandorum ibidem ad ascendentes saltem in linea recta, vel etiam ad vitricum, & novercam extendunt.

Circa hæc in reliquis *A Graffiis de cas. reservatis l.* 2 *c.* 40, *Chapeaville de cas. reservatis p.* 2 *c.* 4 *q.* 1, *&* 2, *Zeccus de cas. reservatis Brixiæ casu* 14, *Barbosa de offic. & potest. Episcopi allegat.* 51 *casu* 7, *Trullench de Sacr. l.* 4 *c.* 10 *dub.* 3, *Cabrinus de cas. reservatis p.* 2 *casu* 4, *& Gobat to.* 1 *tr.* 7 *casu* 8 ad legendum præsto erunt.

Quæritur primo, an reservetur parentes non solum manu, sed etiam cubitu, genu, pede, ense, baculo, scutica, funda, aliisque similibus modis cædere. R. affirmative. Nam quibuslibet hisce modis cædere veram percussionem importat. Crediderim tamen non reservari parentes impellere (nisi impulsio collisionem efficiat, E. G. impulsio in parietem, vel in pavimentum) eos vellicare, eos per vestem arripere, eorum capillos trahere, in eos expuere, aliaque id genus. Etenim percutere est cædere cum dolore; atque hi, similesque actus, etsi respectu parentum graviter mali, vel non sunt cædere, vel sunt citra dolorem cædere. Ob parem rationem parentibus percussionem minari, extollere manum ad eos percutiendos, projicere in eos baculum, vel lapidem, quo ipsi non attingantur, aliaque id genus non reservari agnoscitur. *A Graffiis, Zeccus, Barbosa ubi supra, Chapeaville de cas. reservatis p.* 2 *c.* 4 *q.* 2, *& Palaus tr.* 23 *disp. un. pu.* 15 §. 2 legantur.

Quæritur secundo, an reservetur quoque parentes vulnerare. R. affirmative. Nam vulnus quoque veram percussionem importat eo, quod percussionem cum aliqua disjunctione partium corporis importet. *A Graffiis, & Barbosa ubi supra* hoc aperte sentientes legantur.

Quæritur tertio, an percussio parentum de se levis reservetur. R. affirmative. Nam percussio de se levis, nempe quæ respectu non parentum foret levis, si pa-

parentes afficiat, propter parentibus debitas reverentiam, ac pietatem singulares gravis evadit, ideoque numquam ex parvitate materiæ est venialis. *Palaus*, *Chapeaville*, *& Barbosa ubi supra* hoc aperte docentes legantur.

Quæritur quarto, an reservetur percussio, qua filius cum moderamine inculpatæ tutelæ vim vi repellendo percutiat parentes, a quibus injuste ipse percutiatur. R. negative. Nam, præterquamquod ejusmodi filius vel nihil, vel ad summum mere interne peccando difficulter peccatum mortale committeret, idem in facta hypothesi ob injustitiam parentum percutientium dignus aliqua venia existeret. *A Graffiis, Chapeaville, & Barbosa ubi supra* hanc resolutionem tradentes legantur.

Quæritur quinto, an peccatum reservatum committat filius, qui parentes ignorando (non ignorantia affectata æquivalente scientiæ) eos esse proprios parentes, percutiat. R. negative. Nam iste filius ex ista ignorantia malitiam adversus reverentiam, ac pietatem parentibus debitas percutiendo non contrahit; ob quam malitiam præsens casus reservatur. *Chapeaville*, *& Barbosa ubi supra* hoc quæsitum sic resolventes legantur.

CASUS QUARTUS

Fœdissimum sodomiæ scelus, & quicumque concubitus consummatus contra naturam

Sodomia est *Præposterus congressus maris cum mare* sic dicta a Sodoma, cujus cives Gen. 13 vocati *pessimi* præsertim crimine isto pessimo exercebantur. Atque hæc est sodomia propria, seu perfecta ad differentiam sodomiæ impropriæ, seu imperfectæ, quæ est *Præposterus congressus maris cum femina*, etiamsi hæc esset congredientis uxor. Concubitus contra naturam, nempe contra id, quod natura ad generationem instituit, significat tum hanc sodomiam impropriam, seu imperfectam, tum concubitum sive feminæ cum mare, si hujus præpostero vasi illa proprio naturali vase adhæreat, sive feminæ cum femina, si una proprio naturali vase vasi naturali, vel præpostero alterius adhæreat. Significat quoque concubitus contra naturam tum bestialitatem, tum irrumationem. Bestialitas est *Congressus duorum diversæ speciei*, nempe hominis cum bestia sive mare, sive femina, vel hominis cum Dæmone sive succubo, sive incubo. Irrumatio est *Quædam luxuriæ species ingerentis membrum virile in os maris, aut feminæ*. Et sodomia, & quicumque concubitus contra naturam per seminis effusionem, seu fluxum consummatur. Quocirca nullus concubitus contra naturam sive sodomiticus, sive non sodomiticus (Id etiam ex nostra regula tertia persuadetur) sine seminis effusione, seu fluxu reservatus censebitur. Sed ad consummationem, & reservationem sufficiet unici concumbentis agentis seminatio.

Pollutionem, seu mollitiem, quæ est *Seminis effusio*, *seu fluxus citra concubitum*, non reservari, sive per se, sive per alium ea habeatur, neminem latet. Unde ne reservatur quidem, ut opinor, ulla copula sive naturalis, sive contra naturam, qua copula abrupta solummodo extra vas seminetur, quia ejusmodi copula vel non est concubitus contra naturam, vel non est concubitus contra naturam consummatus, siquidem dicta seminatio extra vas, utpote secuta post concubitum est mera pollutio, seu mollities, & abruptum concubitum non consummat. De aliquo nuper explicatorum concubitu, an reservetur, infra statuemus.

Circa hæc omnia in reliquis *Chapeaville de cas. reservatis p. 2 c. 14 q. 1, & 2*, *Fagundez in Decal. l. 6 c. 3*, *A Graffiis de cas. reservatis l. 1 c. 11, & 12*, *Leander p. 2 tr. 9 disp. 25 q. 38*, *Diana to. 1 tr. 5 resol.*

65,

65, *& to.* 2 *tr.* 6 *res.* 37 , 184 , *&* 187 , *Cabrinus de cas. reservatis p.* 3 *casu* 2 , *&* 3 , *Bassaeus v.* Luxuria , *Tamburinus in Decal. l.* 7 *c.* 3 §. 5 , *& c.* 7 §. 1 , 3 , 4 , *&* 5 , *& de cas. reservatis c.* 6 §. 3 , *Sporer Theol. sacramentali p.* 4 *c.* 2 *sect.* 3 §. 4 , *& c.* 3 *sect.* 5 *initio* , *Giribaldi de Sacr. tr.* 7 *c.* 15 *dub.* 4 §. 6, *&* 7, *La Croix l.* 6 *p.* 3 *n.* 345, *& David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c.* 16 legendi exhibentur.

Quaeritur primo, an reservetur concubitus feminae cum femina. R. Negative quaesitum resolvendum videtur. Nam concubitus feminae cum femina, quamvis possit esse verus concubitus affective; effective, utpote non importans copulam videtur non esse concubitus verus, & esse merus contactus obscoenus pollutionis, ideoque non esse reservatus videtur. *Diana to.* 1 *tr.* 5 *res.* 65 , *& Tamburinus de cas. reservatis c.* 6. §. 3 legantur. Nihilominus affirmative quaesitum resolvunt, nec mihi displicent *A Graffiis de cas. reservatis l.* 1 *c.* 11 , *Chapeaville de cas. reservatis p.* 2 *c.* 15 *q.* 2 , *& Cabrinus de cas. reservatis p.* 3 *casu* 2 , siquando etiam concubitus feminae cum femina medio aliquo instrumento, vel sine ipso vere consummetur. Nec mihi displicent, inquam, quia tunc verus concubitus existere videri poterit. Certe ob defectum veri concubitus, ut optime sentiunt *A Graffiis*, *& Cabrinus ibidem*, maris, vel feminae effusio seminis inter coxendices, vel crura alterius maris, vel feminae, aliusque similis actus non reservatur.

Quaeritur secundo, an reservetur irrumatio. R. affirmative. Nam irrumatio, utpote importans aliquam copulam est verus concubitus particularem speciem luxuriae contra naturam constituens, & ad merum obscoenum pollutionis contactum reduci nequit. *Fagundez*, *Diana*, *Leander*, *La Croix ubi supra*, *Tamburinus in Decal. l.* 7 *c.* 3 §. 5 , *& Sporer Theol. sacramentali p.* 4 *c.* 2 *sect.* 3 §. 4 legantur. Qui etsi hoc quaesitum explicite non resolvunt; affirmando, vel supponendo irrumationem esse speciem luxuriae ab aliis distinctam contra naturam, ideoque non esse meram pollutionem idem quaesitum implicite affirmative resolvunt.

Quaeritur tertio, an sive sodomia, sive alius concubitus contra naturam etiam quoad patientem reservetur. R. affirmative. Nam concubitus contra naturam generatim sumptus reservatur etiam quoad patientem, quia etiam quoad patientem est verus concubitus, cum concubitus, utpote importans mutuam relationem aequiparantiae duplicem concubitum agentis, & patientis importet. Ex quo autem reservetur etiam quoad patientem concubitus contra naturam generatim sumptus, sodomiam quoque reservari etiam quoad patientem infertur, quia, quamvis sodomia quoad patientem fortasse non reservetur tamquam sodomia, tamquam concubitus contra naturam reservatur. *A Graffiis*, *Diana*, *Cabrinus*, *David A S. Maria ubi supra*, *Tamburinus de cas. reservatis c.* 6 §. 3, *& Giribaldi de Sacr. tr.* 7 *c.* 15 *dub.* 4 §. 7 legantur.

Quaeritur quarto, an sodomia, vel alius concubitus contra naturam puerorum ante annos pubertatis, malitia aetatem supplente, seminantium reservetur. R. negative. Nam quod ejusmodi actus in talibus pueris sint consummati per accidens, seu extraordinarie evenit, & juxta Legem *Nam ad ea* ff. De legibus, & Senatusconsultis, lex solum ad ea, quae per se, seu ordinarie fiunt, extenditur, ideoque reservatio praesentis casus sodomiam, vel alium concubitum contra naturam dictorum puerorum, etsi consummatum non comprehendit. Quamquam etiam opposita sententia probabilitate non exigua potitur. *A Graffiis*, *Diana*, *Tamburinus*, *David A S. Maria ubi supra*, *& Cabrinus de cas. reservatis p.* 3 *casu* 2 , *&* 3

le-

legantur. Quorum ultimum ibidem sequendo existimo reservari relate ad utrumque concumbentem concubitum contranaturalem puberis agentis seminantis, & impuberis patientis, etsi non seminantis, quia in hac hypothesi nuper allata contraria ratio non militat.

Quæritur quinto, an reservetur concubitus contra naturam cum cadavere sive humano, sive belluino. R. negative. Nam, quoniam cadaver sive humanum, sive belluinum neque est homo, neque est bellua, & est tamquam statua hominis, vel belluæ; hujusmodi concubitus non est, nisi ad summum affective, & non effective verus concubitus, & est solum pollutio similis illi, quæ adjumento instrumenti inanimati, seu mediante statua hominis, vel belluæ haberetur. *Sanchez de matr. l.* 10 *disp.* 4, *Diana to.* 8 *tr.* 6 *resol.* 6, *Potestas exam. Confessariorum to.* 1 *p.* 2 *n.* 2184, *& Giribaldi de Sacr. tr.* 7 *c.* 15 *dub.* 4 §. 7 legantur.

Si quæratur, an reserventur sodomia, & alii concubitus contra naturam habiti ob metum gravem; ex resolutione quæsiti quinti casus sexti resolutio petatur.

Quod paulo infra de spadonum, seu eunuchorum carnali copula cum Infidelibus, & de carnali copula non sine feminea, sed sine virili seminatione sum dicturus legere ne graveris.

CASUS QUINTUS

Carnalis copula cum Infidelibus

VErbo *Carnalis copula* juxta nostram regulam tertiam hic significatur copula naturalis completa, nempe copula de se apta generationi, ideoque copula non sine virili seminatione intra vas femineum. Juxta eamdem regulam videtur hic non significari eodem verbo copula spadonum, seu eunuchorum, utpote generationi certo inepta. Sed eamdem copulam reservari, etsi habitam cum Fidelibus, reservatione casus quarti crediderim, quia ipsa, utpote generationi certo inepta concubitus contra naturam existit. Carentes unico teste, utpote ad generandum certo idoneos spadonibus, seu eunuchis non annumerari, ideoque illorum carnalem copulam cum Infidelibus præsentis, & non quarti casus reservationi subesse jam nosti.

Forsitan quispiam dixerit verbo *Carnalis copula* hic non significari copulam naturalem sine feminea, etsi non sine virili seminatione intra vas femineum. At hoc existimo falsum. Etenim ex una parte saltem probabiliter copula naturalis sine feminea seminatione est apta generationi; ex alia parte propter incertitudinem securæ femineæ seminationis sæpissime dubitaretur, an præsentis casus reservatio incurreretur, & vix umquam incurri dicenda esset, si sola copula naturalis cum feminea seminatione hic reservata diceretur. Idcirco, spectato præsertim fine hujus reservationis, ne eadem reservatio ad fere nihilum redigatur, mens Superioris esse dictam copulam etiam sine feminea seminatione reservare censeatur. Siquis autem existimet eodem verbo hic non significari copulam naturalem cum sola feminea, & non cum virili seminatione; assentior, quia ejusmodi copula ad generationem certissime nihil valet. Inde tamen ne inferas eamdem copulam quarti superioris casus reservatione reservari. Ipsa enim, etsi defectu virilis seminationis inepta est generationi; utpote importans naturalem femineam seminationem generationi vel necessariam, vel utilem concubitus contra naturam proprie appellari nequit.

Verbo *Infidelibus* hic non significantur Hæretici, multoque minus Schismatici significantur. Ratio est, quia, quamvis sal-

faltem Hæretici errores in christiana Fide admittant, ideoque aliquo pacto vocari possint Infideles; tamen Hæretici, multoque magis Schismatici christianam Fidem profitentur. Insuper neque Hæretici, neque Schismatici ab Ecclesia Infideles putantur; unde impedimentum disparitatis cultus, seu Religionis, quod dirimit matrimonium Christiani, & Infidelis, matrimonium ordinarie illicitum Catholici, & Hæreticæ, aut Catholici, & Schismaticæ non dirimit. Verumtamen eodem verbo Hebræi, Turcæ, Idololatræ, Atheistæ, & siqui sunt alii non babtizati, utpote christianam Fidem non profitentes significantur. Idcirco dicta carnalis copula cum Hebræis, Turcis, Idololatris, Atheistis, aliisque non baptizatis sive maribus, sive feminis reservatur.

Circa hæc omnia in reliquis *D. Thomam* 2. 2. *q.* 10 *ar.* 3, *&* 5, *& q.* 39 *ar.* 1, *Sylvestrum v.* Infidelitas, & Schisma, *A Graffiis de caf. reservatis l.* 1 *c.* 12, *Reginaldum l.* 17 *c.* 3 *initio*, *& c.* 4 *q.* 3, *Bonacinam to.* 2 *disp.* 3 *q.* 2 *pu.* 7, *Laymann l.* 2 *tr.* 1 *c.* 12, *Tamburinum de caf. reservatis c.* 6 §. 3, *Bassæum v.* Hæresis, Infidelitas, & Schisma, *Busembaum l.* 2 *tr.* 1 *c.* 4, *& Catalanum p.* 1 *q.* 5 *c.* 5 legere integrum est.

Quæritur primo, an reservetur copulis cum Catechumenis. R. negative. Nam, quamvis Catechumeni nondum per Baptisma christianam Fidem professi fuerint; tamen, utpote Baptisma desiderantes, & christiana mysteria credentes christianam Fidem aliquo modo jam profiteri, ideoque Infidelibus non annumerari videntur.

Quæritur secundo, an reservetur copula carnalis cum Hæreticis invalide baptizatis. R. negative. Nam, quamvis Hæretici invalide baptizati vere Ecclesiam non sint ingressi; tamen, utpote per Baptismum invalidum aliquo modo christianam Fidem professi Infidelibus annumerari non consuevere.

Quæritur tertio, an reservetur copula carnalis cum Apostatis. R. primo negative, si sint Apostatæ ad hæresim. Nam de his Apostatis, ac de Hæreticis idem est sermo, R. secundo affirmative, si sint Apostatæ ad judaismum, vel ad mahometismum, vel ad idololatriam, vel ad atheismum, vel ad aliam, siqua est, stricte talium Infidelium Sectam. Nam, quamvis hujusmodi Apostatæ saltem per Baptismum christianam Fidem olim professi fuerint; tamen per apostasiam deinde eamdem professionem revocarunt, & nunc infidelitatem propriæ Sectæ profitentur, ideoque vere Infideles dicendi erunt. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 12 *ar.* 1, *Reginaldus l.* 17 *c.* 7, *De Lugo de fide disp.* 18 *sect.* 4, *& Bassæus v.* Apostasia legantur.

Si quæratur, an reservetur copula carnalis cum Infidelibus ob metum gravem habita; ex resolutione quæsiti quinti casus sexti resolutio petatur.

CASUS SEXTUS

Incestus omnes in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis, & cognationis spiritualis, & quicumque actus, vel attentatio malitiosa ad turpia cum filia spirituali

INcestus est *Copula inter consanguineos, vel affines*. Consanguinitas intercedit inter consanguineos usque ad quartum gradum; & affinitas inter affines usque ad quartum gradum, si sit affinitas ex copula licita, usque ad secundum gradum, si sit affinitas ex copula illicita. In præsenti casu vocatur incestus, sicut vocatur a pluribus Theologis, quamvis proprie non sit incestus, etiam copula inter cognatos spirituales. Cognatio spiritualis intercedit inter baptizantem, & baptiza-

tum

tum, hujusque parentes, inter tenentem, vel suscipientem ad Baptismum, & baptizatum, hujusque parentes; item inter confirmantem, & confirmatum, hujusque parentes, inter tenentem ad Confirmationem, & confirmatum, hujusque parentes. Porro hac in re nihil refert, etiamsi dicti parentes sint parentes illegitimi, seu citra matrimonium, quia ipsi quoque sunt veri parentes.

Quoad filiam spiritualem, ut constat ex verbis præsentis casus, reservatur non solum copula, sed etiam quilibet actus inhonestus mortalis sive secutus, sive attentatus. Contra vero quoad consanguineos in primo, & secundo gradu, quoad affines in primo gradu, & quoad cognatos spirituales sola naturalis copula, & quidem completa, seu ad generationem idonea reservatur; per solam enim hujusmodi copulam formalis incestus habetur. Unde neque reliqui concubitus, neque reliqui actus inhonesti inter dictos consanguineos, vel affines, vel cognatos spirituales hac reservatione reservantur, etiamsi semen virile sine naturali copula intra vas femineum illaberetur, seu attraheretur. Quamquam nonnulli incestum non reservatum fortasse putabunt, nisi copula naturalis pariter ex parte feminæ per ejus seminationem compleatur; tamen ad hanc reservationem juxta dicta exponendo casum quintum copula naturalis completa solum ex parte viri per ejus seminationem sufficit.

Consanguinitas est *Propinquitas personarum proveniens ex identitate stipitis*. Affinitas est *Propinquitas personarum proveniens ex copula licita, vel illicita*. Cognatio spiritualis est *Propinquitas personarum proveniens ex Baptismo, vel Confirmatione*. Filia spiritualis, de qua præsens casus loquitur, est, etiam ob nostram regulam tertiam, *Pœnitens in confessionibus a Confessario spiritualiter adjuta*, ideoque neque est Parochiana respectu Parochi, neque ulla alia, quæ ab ullo alio spiritualiter adjuvetur. Et sane alicubi, velut in Diœcesi Bononiensi, reservando copulam & cum Pœnitente, & cum Parochiana dicitur *cum Filia spirituali*, *vel Parochiana*. Ex terminis præsentis casus, quemadmodum agnoscitur reservari nominatos incestus etiam relate ad feminas, quia etiam feminarum incestus sunt veri, & proprii incestus; sic non reservari actum, vel attentationem malitiosam ad turpia filiæ spiritualis cum patre spirituali agnoscitur, quia ejusmodi actus, & attentatio ab actu, & attentatione malitiosa ad turpia cum filia spirituali distinguuntur.

Circa hæc omnia in reliquis *Sanchez de matr. l. 7 disp.* 50, *&* 64, *A Graffiis de cas. reservatis l.* 1 *c.* 13, *Chapeaville de cas. reservatis p.* 2 *c.* 14 *q.* 1, *&* 2, *Zeccus de cas. reservatis Brixiæ casu* 15, *Trullench de Sacr. l.* 4 *c.* 10 *dub.* 3, *Cabrinus de cas. reservatis p.* 2 *casu* 5, *Bassæus v.* Incestus, *Giribaldi de Sacr. tr.* 7 *c.* 15 *dub.* 4 §. 6, *&* 7, *De Alexandris de cas. reservatis Veronæ n.* 5 §. 1, 2, *&* 3, *& David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c.* 8, 9, 10, *&* 12 ad legendum in promptu erunt.

Quæritur primo, an incestus etiam inter consanguineos, vel affines, qui sint consanguinei, vel affines dependenter a copula illicita, reservetur. R. affirmative. Nam etiam hujusmodi consanguinei, & affines sunt veri, & proprii consanguinei, & affines, ita ut eorum consanguinitas, & affinitas matrimonium dirimat, ideoque incestus etiam inter consanguineos, & affines, quorum uterque, vel alteruter sit illegitimus, seu qui sint consanguinei, & affines independenter a matrimonio, est verus, & proprius incestus. *Sanchez de matr. l.* 7 *disp.* 64, *&* 68, *&*

Illsung tr. 6 disp. 9 q. 3 ar. 2 §. 2, & 8 legantur.

Quæritur secundo, an reservetur etiam incestus inter consanguineos descendentes ex eodem stipite femineo, & ex diverso stipite virili. R. affirmative. Nam etiam hujusmodi consanguineorum incestus est verus, & proprius incestus, quia etiam ipsi E. G. frater, & soror uterini sunt veri, & proprii consanguinei, ideoque eorum consanguinitas matrimonium dirimit. Ex quo incestum pariter inter consanguineos descendentes ex eodem stipite virili, & ex diverso stipite femineo reservari magis ostenditur. *Cabrinus de cas. reservatis p. 2 casu 2, & Decretum Gratiani Cau. 35 q. 10 Can.* Si cujus, *& tribus Can. subsequentibus* legantur.

Quæritur tertio, an reservatione alligetur maritus, qui post cognitam propriæ uxoris sororem, vel matrem, vel filiam petendo sine dispensatione debitum propriam uxorem cognoscat. R. affirmative. Nam iste maritus cognoscendo consanguineam in primo gradu propriæ uxoris verissimam affinitatem in primo gradu cum propria uxore contraxit, ideoque per dictam propriæ uxoris cognitionem verissimum incestum in primo affinitatis gradu committit. *Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 4 §. 7, & De Alexandris de cas. reservatis Veronæ n. 5 §. 2* id affirmantes legantur. De veritate hujus resolutionis ob nostram regulam tertiam forsan aliquis dubitabit. Cui dubitanti oppositæ opinionis qualemcumque probabilitatem ego forsan non denegabo. Idem maritus tamen reservatione profecto non alligaretur, si reddendo sine dispensatione debitum propriam uxorem cognosceret, quia etiam contracta dicta affinitate propriæ uxori reddere debitum tenetur. Quod nuperrime indicatam dubitationem forsan augebit, quatenus dicta affinitas contracta cum propria uxore ob dictam obligationem eidem uxori reddendi debitum quædam affinitas imperfecta videri queat.

Quæritur quarto, an reservatione alligetur habendo copulam cum baptizata, vel confirmata, vel alterutrius matre, qui per procuratorem patrinum egerit. R. negative. Nam, cum in ea hypothesi probabile sit procuratorem, & non principalem, principalem, & non procuratorem, atque eorum neutrum cognationem spiritualem contrahere, ob nostram regulam quartam dicta copula non reservata censeri poterit. Eadem a pari esto resolutio, si a dicto principali ad dictum procuratorem quæsitum transferatur. *Henriquez to. 1 l. 12 c. 11, Sanchez de matr. l. 7 disp. 59, Reginaldus l. 31 c. 20 sect. 3, Sotus in 4 dist. 42 q. 1 ar. 2, Coninck de Sacr. disp. 32 dub. 2, Bonacina de matr. q. 3 pu. 5*, & potissimum *De Alexandris de cas. reservatis Veronæ n. 5 §. 3, & David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c. 12* legantur.

Ex nuper dictis apparet, quid judicetur in hoc puncto de quocumque alio, qui non certo, & solum probabiliter cognationem spiritualem contraxerit, E. G. de eo, qui ad Baptismum privatim, & non solemniter collatum tenuerit, vel susceperit. De quo privato, & non solemni Baptismo quoad cognationem spiritualem inter ceteros *Navarrus man. c. 22 n. 4, Suarez to. 3 in 3 p. disp. 23 sect. 3, Sanchez de matr. l. 7 disp. 62, Coninck de Sacr. disp. 32 dub. 2, Ponce de matr. l. 7 c. 40, & Viva de matr. q. 5 ar. 6 loquuntur.* Porro præsentis casus reservatio cognationem spiritualem tum paternitatis, tum compaternitatis complectitur, etiam quia in cognatione spirituali gradus numerari non solent, ut in reliquis apud *Tamburinum de Sacr. l. 6 tr. 1 c. 5 §. 2, & Sporer Theol. Sacramentali p. 4 c. 1 sect. 1 §. 13* intueri licet.

Quæ-

Quæritur quinto, an reſervatione alligetur qui ex metu gravi peccata præſentis caſus perpetret. R. negative. Nam, quamvis metus gravis voluntarietatem ad peccatum mortale neceſſariam non tollat, aliquo modo illud imperfecte voluntarium reddit, ideoque ob noſtram regulam tertiam peccata ceteroquin reſervata ex metû gravi perpetrata reſervationi ſubtrahuntur. *A Graffiis*, *Cabrinus ubi ſupra*, *Tamburinus de caſ. reſervatis c.* 3, *Baſſæus v.* Caſus reſervatus, *Antonius A Spiritu Sancto director. Confeſſariorum p.* 1 *tr.* 5 *diſp.* 14 *ſect.* 11 §. 18, & *De Januario de caſ. reſervatis reſol.* 47, & 58 huic reſolutioni patrocinati legantur.

Quæritur ſexto, an reſervatione alligetur qui peccata præſentis caſus perpetret ignorando perſonam ſibi eſſe conſanguineam, vel affinem, vel cognatam ſpiritualem, vel filiam ſpiritualem. R. negative. Nam ſtante dicta ignorantia malitia ſpecifice diverſa dictorum peccatorum propria, ob quam dicta peccata reſervantur, non contrahitur. *Giribaldi ubi ſupra*, *De Alexandris de caſ. reſervatis Veronæ n.* 5 §. 1, 2, & 3, & *David A S. Maria de caſ. reſervatis Taurini c.* 9 ita ſentientes legantur. Excipiendum eſſe crediderim, ſi dicta ignorantia eſſet affectata, quia ignorantia affectata, utpote æquivalens ſcientiæ contractionem dictæ malitiæ non impediret.

Quæritur ſeptimo, quænam ſit Pœnitens, cum qua Confeſſarius turpia agendo, vel attentando reſervationem incurrat. R. Confeſſarius, ut mihi quidem videtur, reſervationem incurrit turpia agendo, vel attentando cum Pœnitente, cujus eo tempore ipſe ſit vere pater ſpiritualis, ideoque illa ſit vere ipſius filia ſpiritualis, videlicet cum Pœnitente, cujus eo tempore ipſe nominari poſſit proprius Confeſſarius, ideoque illa nominari poſſit ipſius propria Pœnitens. Nam ſecus haberi *actum*, *vel attentationem malitioſam ad turpia cum filia ſpirituali*, quod in præſenti caſu legitur, non verificaretur. Itaque Confeſſarius turpia agendo, vel attentando cum Pœnitente reſervationem incurret, ſi Pœnitens moraliter permanenter apud ipſum confeſſionem faciat, etſi ipſi non ſignificando ſe velle eſſe ipſius Pœnitentem, ſeu filiam ſpiritualem, vel pariter, ſi ſemel apud ipſum confeſſionem fecerit (Hoc olim quidam negavit ratus unica confeſſione feminam moraliter ſolum incipere eſſe Confeſſarii Pœnitentem, ſeu filiam ſpiritualem) & ante, vel poſt talem confeſſionem, vel in tali confeſſione ipſi ſignificaverit ſe velle eſſe ipſius Pœnitentem, ſeu filiam ſpiritualem, unde ipſe ſtatim ſit illius Confeſſarius, ſeu pater ſpiritualis. Contra vero Confeſſarius turpia agendo, vel attentando cum Pœnitente reſervationem non incurret, ſi Pœnitens neque moraliter permanenter confeſſionem faciat apud ipſum, neque faciendo aliquam confeſſionem apud ipſum illa ipſi ſignificet ſe velle eſſe ipſius Pœnitentem, ſeu filiam ſpiritualem, unde ipſe non ſit illius Confeſſarius, ſeu pater ſpiritualis. Hanc tamen meam opinionem, ſi oporteret, libens opinioni ſubjicerem aliorum, qui a dicto Confeſſario reſervationem incurri opinarentur, quandocumque, & quamvis ſemel dictæ Pœnitentis confeſſionem ipſe audiverit, dummodo ipſe non deſiverit illius confeſſionem audire tanto tempore ante turpem actum, vel attentationem, quanto ipſe in morali hominum exiſtimatione illius proprius Confeſſarius, ſeu pater ſpiritualis, & illa ipſius propria Pœnitens, ſeu filia ſpiritualis nominari amplius nequeat. *Filliucius tractat.* 10 *p.* 2 *c.* 5, & *David A S. Maria de caſ. reſervatis Taurini c.* 10 legantur.

Si quæratur, an reserventur dicti incestus puerorum, qui ante annos pubertatis, malitia ætatem supplente, seminent; ex responsione quæsiti quarti casus quarti responsio petatur, neque *A Graffiis ubi supra* legere omittatur.

Si quæratur, an præsenti reservationi subjaceat copula spadonum, seu eunuchorum cum memoratis consanguineis, vel affinibus, vel cognatis spiritualibus; ex dictis exponendo casum quintum (Ibi talem copulam reservari reservatione casus quarti agnosces) responsio petatur, neque *Cabrinum ubi supra* legere omittatur.

CASUS SEPTIMUS

Divinationes, maleficia, & quodcumque aliud genus superstitionum cum abusu Sacramentorum, sacrarum rerum, necnon sacrorum verborum, aut rituum

Superstitio est *Vitiosus cultus Dei veri, vel falsi*. In speciebus superstitionis etiam divinatio, vana observantia, magia, & maleficium inveniuntur. Divinatio est *Inquisitio cognitionis futurorum, seu occultorum ex invocatione, seu pacto explicito, vel implicito Dæmonis*. Vana observantia est *Procuratio alicujus effectus per medium improportionatum ex invocatione, seu pacto explicito, vel implicito Dæmonis*. Magia est *Ars opera mirabilia faciendi ex invocatione, seu pacto explicito, vel implicito Dæmonis*. Maleficium est *Ars nocendi aliis ex invocatione, seu pacto explicito, vel implicito Dæmonis*.

Per illud *Sacramentorum* significantur septem novæ legis Sacramenta. Per illud *sacrarum rerum* significantur sacramentalia, sacræ imagines, sacræ ceræ, sacræ reliquiæ, sacræ vestes, sacra vasa, Cruces, Coronæ, Rosaria, aliaque religionis, ac pietatis instrumenta. Per illud *sacrorum verborum* significantur verba Divinæ Scripturæ, verba piarum precum, verba, quibus Deus, Angeli, Sancti, & res sacræ nominantur, aliaque verba, quæ aliquam sanctitatem præseferunt. Per illud *rituum* sacræ cæremoniæ, & sanctæ actiones ab Ecclesia in divino cultu adhiberi solitæ significantur.

Circa hæc omnia in reliquis *D. Thomas 2. 2. q. 93 ar. 1, & 2, q. 95 ar. 2, & 3, & q. 96 ar. 1, 2, & 3, Suarez de relig. to. 1 tr. 3 l. 2 c. 1, 7, & 16, Lessius de just. l. 2 c. 43 dubit. 1, & sequentibus, Zeccus de cas. reservatis Brixiæ casu* 8, *Chapeaville de cas. reservatis p. 2 c. 7 q. 1, c. 8 q. 1, & c. 21 q. 1, Palaus tr. 17 disp. 1 pu. 1, & sequentibus, Cabrinus de cas. reservatis p. 2 casu* 8, *Bassæus v.* Divinatio, Maleficium, & Superstitio, *Busembaum l. 3 tr. 1 c. 1 dub. 1, 2, & 4, Antonius A Spiritu Sancto director. Confessariorum p. 1 tr. 5 disp. 14 sect. 11 §. 13, 18, & 21, Giribaldi de Sacr. tr. 7 c. 15 dub. 4 §. 2, & 3, & De Alexandris de cas. reservatis Veronæ n. 1 §. 1, & 2* legendi occurrent.

Quæritur primo, an sit reservatum maleficium, a quo maleficiatus benedictione, aliove medio statim liberetur. R. affirmative. Nam subita liberatio a maleficio, quominus maleficium extiterit, non præstat. Sed hoc intelligitur, dummodo maleficiandus benedictione, aliove medio a maleficio ne præservetur, seu dummodo maleficii læsio omnis ne impediatur, quia tali læsione impedita ob non secutum effectum maleficium est imperfectum, ideoque ob nostram regulam tertiam non est reservatum. *Chapeaville de cas. reservatis p. 2 casu 7 q. 2* legatur.

Quæritur secundo, an sit reservatum peccatum postulantis maleficium, vel utentis maleficio per alium effecto. R. nega-

ga-

gative. Nam neque postulatio, neque usus maleficii est maleficium. *Cabrinus*, *& Antonius A Spiritu Sancto ubi supra* hanc resolutionem primus quoad primam partem, secundus quoad utramque partem exprimentes legantur.

Quæritur tertio, an sit reservatum peccatum edocentis, vel ediscentis divinationes, vel maleficia, aliasve superstitiones. R. negative. Nam præcise edocere, vel ediscere superstitiones non est superstitiones efficere. *Chapeaville de cas. reservatis p.* 2 *c.* 7 *q.* 2, *& c.* 8 *q.* 2, *De Januario de cas. reservatis resol.* 22, *Cabrinus de cas. reservatis p.* 2 *casu* 8, *& De Alexandris de cas. reservatis Veronæ n.* 1 §. 3 legantur. Quorum tertius ibidem ob oppositam rationem oppositum recte docet quoad eum, qui se immiscendo, seu aliquatenus immediate cooperando maleficiis, aliisve superstitionibus per alterius ministerium maleficiis, aliisve superstitionibus exerceatur, & maleficia, aliasve superstitiones non præcise alteri mandet.

Quæritur quarto, an peccata præsentis casus sint reservata, quamvis circa res parvi momenti versentur, E. G. divinatio ob inveniendum amissum obulum, vel maleficium ob inimicum leviter contristandum. R. affirmative. Nam superstitio, saltem illa, de qua hic loquimur, utpote materiæ parvitatem non admittens, etiam quoad res parvas, seclusa imperfecta deliberatione, semper mortalem malitiam continet. *Lessius de just. l.* 2 *c.* 43 *dubit.* 1, *& Cabrinus ubi supra* legantur.

Quæritur quinto, an peccata præsentis casus sint reservata, quamvis ea committens se intendere non superstitionem expresse protestetur. R. affirmative. Nam ejusmodi protestatio est protestatio contra factum, ideoque superstitionem non tollit. *Suarez de relig. to.* 1 *tr.* 3 *l.* 2 *c.* 9, *& Cabrinus ubi supra* legantur.

Quæritur sexto, an ullum peccatum præsentis casus sit reservatum, si neque Sacramentorum, neque sacrarum rerum, neque sacrorum verborum, neque sacrorum rituum abusui conjungatur. R. negative. Nam, quoniam attenta syntaxi particula *cum abusu Sacramentorum, sacrarum rerum, necnon sacrorum verborum, aut rituum* etiam ad particulam *Divinationes, maleficia*, & non solum ad particulam *quodcumque aliud genus superstitionum*, si non certo, saltem valde probabiliter refertur; saltem ob nostram regulam quartam singula dicta peccata dicto abusui non conjuncta reservationis expertia cognoscuntur. *Tamburinus de cas. reservatis c.* 6 §. 3, *Cabrinus de cas. reservatis p.* 2 *casu* 8, *Giribaldi de Sacr. tr.* 7 *c.* 15 *dub.* 4 §. 4, *& David A S. Maria de cas. reservatis Taurini c.* 3 huic resolutioni suffragati legantur.

Si quæratur, an reservationem effugiant qui ob gravem metum dictas superstitiones efficiant; ex resolutione quæsiti quinti casus sexti resolutio petatur, neque *Antonium A Spiritu Sancto director. Confessariorum p.* 1 *tr.* 5 *disp.* 14 *sect.* 11 §. 18 legere omittatur.

CASUS OCTAVUS

Qualibet impudicitia cum Monialibus perafta, vel quocumque modo attentata

QUamvis nomen impudicitiæ de se generatim omnem inhonestatem, seu impuritatem significet; tamen ad explicandam solam inhonestatem, seu impuritatem actuum externorum, E. G. tactuum, amplexuum, osculorum ob delectationem veneream etiam sine intentione luxuriæ consummatæ habitorum idem nomen Theologi usurpant. Igitur reservatione præsentis casus reservantur hujusmo-

modi impudici actus, quos cum Monialibus, nempe cum feminis Deo dicatis intra Ordinem Regularem ab Ecclesia approbatum degentibus quis externe mortaliter vel ad effectum perducat, vel ad effectum perducere aggrediatur. Cave tamen putes casu hoc non comprehendi etiam luxuriam consummatam cum Monialibus peractam, vel quocumque modo attentatam, E. G. fornicationem, vel pollutionem. Hujusmodi enim luxuria cum Monialibus multo magis, quam imperfecti actus impudici impudicitiam continent.

Porro nomine Monialium hic intelliguntur Religiosæ, quæ *Sorores* vocantur, æque, ut quæ *Sorores* non vocantur. Atque utræque intelliguntur, quia & eadem est quoad utrasque ratio, & utrasque communissime *Moniales* appellamus. Neque dubites, quin, etsi dicitur *cum Monialibus* plurali numero, reservetur impudicitia, ejusque attentatio etiam cum unica Moniali, illud *cum Monialibus* distributive, vel disjunctive, & non collective, vel copulative sumendo cohærenter ad id, quod casu 1 quæst. 6 de blasphemiis in Sanctos documus.

Circa hæc omnia in reliquis *D. Thomam 2. 2. q. 154 ar. 4*, *Armillam v.* Impudicitia, *Cajetanum summula v.* Impudicitia, *Lessium de just. l. 4 c. 3 dubit.* 8, *Sanchez de matr. l. 9 disp. 46*, *A Graffiis de cas. reservatis l. 1 c. 5*, *&c. 2 c. 14*, *Laymann l. 3 sect. 4*, *De Januario de cas. reservatis resol. 34*, *Bassæum v.* Impudicitia, *Cassianum A S. Elia v.* Impudicitia, *Giribaldi in 6 præc. Decalogi c. un. dub. 8*, *& Sporer Theol. sacramentali p. 4 c. 3. sect. 6* legere proderit.

Quæritur primo, an reservatione afficiatur qui solis verbis impudicitiam cum Moniali attentet, seu a Moniali impudicitiam cum ipsa sibi permitti frustra petat. R. affirmative. Nam etiam dumtaxat impudicitiam petere est impudicitiam aliquo modo vere, ac proprie attentare. *Giribaldi* explicite, & *De Januario* implicite ubi supra huic resolutioni adhærentes legantur. Quorum præcipue primus ob rationis identitatem opinionem suam ad impudicitiæ attentationem cum Moniali per nuntium, litteras, nutus, aliaque signa merito extendit.

Quæritur secundo, an reservatione afficiatur qui a Moniali impudicos actus voluntarie patiatur, vel pati attentet. R. affirmative. Nam actus impudicus externus habetur per contactum agentis, & patientis, seu per tactum utriusque, ideoque non minus actus impudicos patiens, quam agens impudicitiam peragit. Reservatione tamen non afficitur Monialis actus impudicos cum non Moniali peragens, vel attentans, quia impudicitia a Moniali peracta, vel attentata cum non Moniali non est impudicitia peracta, vel attentata cum Moniali, cujusmodi sola impudicitia præsenti casu, ut constat ex ejus terminis, reservatur.

Quæritur tertio, an reservatione afficiatur qui cum Moniali peragat, vel attentet actus subimpudicos de se veniales, E. G. genas vellicare, mamillas tangere, & solum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales. R. negative. Nam juxta nostram regulam octavam nonnisi peccata per externam malitiam mortalia reservantur. Oppositum tamen ob oppositam rationem dicatur quoad actus subimpudicos de se veniales, & mortales ex aliqua externa circumstantia, E. G. ex pravi affectus, seu pravæ intentionis manifestatione. *De Lugo de Sacr. Pœnit. disp. 20 sect. 2*, *Palaus tr. 23 disp. un. pu. 15 §. 3*, *Tamburinus de cas. resevatis c. 4*, *& c. 7 §. 3*, *& La Croix l. 6 p. 2 n. 1671* legantur. Inhærendo doctrinæ *La Croix ibidem* reservati cen-

censebuntur etiam actus subimpudici cum Moniali de se veniales, & mortales ex externa circumstantia scandali. Ast de hujus opinionis veritate aliquis non injuria dubitabit eo, quod tunc impudicitia in specie scandali, & non in specie impudicitiæ externam gravitatem contineat.

Quæritur quarto, an reservatione afficiatur Monialis, quæ cum alia Moniali impudicitiam peragat, vel attentet. R. affirmative. Nam etiam in ea hypothesi impudicitia cum Moniali peracta, vel attentata vere, & proprie habebitur; & quoniam est flagitium saltem æque grave, si impudicitia a Moniali cum Moniali peragatur, vel attentetur, eam a Moniali cum Moniali peractam, vel attentatam a reservatione eximere non debemus. *Tamburinus de cas. reservatis c. 6 §. 3* huic resolutioni obsecundans legatur. Ex hac resolutione idem esse respectu feminæ Sæcularis sive ad Monasterium, sive in Monasterio cum Moniali impudicitiam peragentis, vel attentantis infertur. Eadem resolutio respectu tum feminæ Sæcularis, tum Monialis cum Moniali impudicitiam peragentis, vel attentantis minus vera fortasse cuipiam videbitur eo, quod præsens casus unice reservatus videri possit ob coercendam lasciviam virorum, qui Christi Sponsas temerare procaciter inhiarent, & eo, quod ejusmodi lascivia sive in femina Sæculari, sive in Moniali quoad Monialem raro contingat. Quamvis hanc opinionem, utpote non omnis probabilitatis expertem non contemnendam putem; tamen ob allatam meam probationem non continuo superiorem meam opinionem dimitto.

Quæritur quinto, an reservetur impudicitia peracta, vel attentata cum Conversis Monasteriorum hujus Diœcesis. R. negative. Nam Venetorum Monasteriorum Conversæ, etsi ob vestem religiosam, quam vivendo inter Religiosas gerunt, privilegiis Monialium fruuntur; non sunt Moniales, sed veluti famulæ veste Monialium indutæ, siquidem non sunt Professæ, ideoque non sunt Religiosæ, nec ad Clausuram obligantur, & pro arbitratu suo, vel Monialium e Monasteriis discedere, vel dimitti possunt. Quemadmodum autem Monachi vestis non efficit Monachum, sic vestis Monialis Monialem non efficit. Unde, spectata præsertim nostra regula tertia, impudicitia peracta, vel attentata cum ejusmodi Conversis non reservatur. Excipiuntur tamen quoad hoc Conversæ Capucinarum a S. Hieronymo, & a Castello, quia utræque istæ Conversæ æque, ut Choro destinatæ, religiosam professionem emittunt. Allata superioris resolutionis probatione ostenditur idem, quod supra, esse circa Venetas Conversas tria simplicia vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ sive publice, sive privatim nuncupantes, ut earum nonnullæ in nonnullis Venetis Monasteriis nuncupant; hujusmodi enim vota, utpote vota non religiosa, seu religiosam professionem non constituentia eas Religiosas non reddendo Moniales non reddunt. Eadem probatione ostenditur idem esse circa Monialium Novitias; ipsæ enim ob nondum emissa vota religiosa, seu ob nondum emissam religiosam professionem nondum sunt Religiosæ, seu Moniales. Eadem probatione ostenditur idem esse circa Oblatas, seu Tertiarias, quia ne ipsæ quidem votis suis simplicibus, & non religiosis (quando vota emittant) Religiosæ, seu Moniales redduntur. Et sane lex non alloquendi Moniales, pluresque aliæ leges pertinentes ad Moniales ad Oblatas, seu Tertiarias non extenduntur. Idemque multo magis patet judicandum esse de dicta reservatione circa puellas, aliasque feminas Sæculares in Mona-

ste-

ſteriis degentes. Et ſane, quando reſervatione ad Moniales ſpectante comprehenduntur, ceu in Diœceſibus Panormitana, & Bononienſi, dictæ feminæ, nominantur. *Giribaldi ubi ſupra*, *A Graffiis de caſ. reſervatis l.1 c.5, & l.2 c.14, De Januario de caſ. reſervatis reſol.34*, *Delbene de immunitate c.14 dub.5 ſect.3, & La Croix l.6 p.2 n.1646* his opinionibus aſſenſi legantur.

Siqua tibi veniant in mentem alia dubia quoad hunc, aut quoad ſeptem alios ſuperiores caſus reſervatos; ob ea reſolvenda tum traditas primo articulo regulas, tum quæſitis ſingulorum eorumdem caſuum præmiſſa conſulito, nec tibi meam *Paxim Tribunalis conſcientiæ diſp. 2 q. 6*, aut melioris Auctoris meliorem de caſ. reſervatis tractatum obtutu donare inutile accidet.

F I N I S

AD MAJOREM DEI GLORIAM